

Cyrillus. & **Ambrosius**, qui non solum ait intelligi locum illum de Spiritu Sancto, tertia sanctissimæ Trinitatis persona, sed etiam hanc esse sanctorum & fidelium sententiam. Id videtur ecclesia significare in missali in profa quadam solemnitate Spiritus Sancti, ubi eum ita alloquitur. Quando machinam per verbum suum fecit Deus cœli terræ marium, tu super aquas forurus eas lumen tuum expandisti spiritus. Id quod Moses appellat aquas, appellat Hesiodus Chaos, & quæ ille vocat spiritum domini, vocat hic amorem, ut constat ex eius carmine ab Augustino Eugubino in Cosmo poeta citato. Per amorem autem Spiritus Sanctus intelligitur. Etiam nonnulli ex gentilibus dicebant esse in divinis Spiritum Sanctum. Id existimo voluisse Platonem significare libro decimo de legibus, cum dixit, esse quandam mentem optimam omnia regentem, & ut ita dicam, vivificantem, quam animam mundi vocavit, forte quia legerat eam in principio mundi latam super aquas, numinis sui potentiam in rerum conditarum creatione offendisse. Ex illis enim aquis à Deo primo die creatis, ex mole illa & machina facta sunt visibiles creaturæ, iuxta id capituli vndecimi libri Sapientiæ: Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inusata. Vel ut potest rectissime ex Græco verri, ex materia informi. Ideo ex aquis creatæ sunt visibiles creaturæ, ut earum instabilitatem, visitudinem, & inconsistentiam cognosceremus. Id voluit significare Homerus, cum dixit, omnia fuisse ab aquis Oceani creatas, quæ ultro citroque fluunt, ac refluunt, & nunquam subsistunt. Vnde Xenophanes: Nos omnes, inquit, aqua fumus: hoc est instabiles & inconsistentes, conditi ex aquis. Hoc referebant ad aquas illas, super quas in mundi principio spiritus domini ferebatur. Pro quo Thargum Hierosolymitanum habet: Spiritus misericordiarum & gratiæ flabat super facies aquarum. Vbi vides spiritum domini loco illo esse Spiritum Sanctum. Veteres Hebræi autem spiritum illum, qui ferebatur super aquas, esse spiritum Mes-

siæ, ut refert Eugubinus in Psalmum 103. Theodoretus tamen, & nostra hac memoria Hieronymus ab Oleastro pro spiritu domini intelligit ventum. Caietanus intelligit angelicum spiritum ministrum Dei, qui machinam illam velocissimè movebat. Omnes hæ opiniones sunt probabiles, sed quæ per spiritum domini interpretatur Spiritum Sanctum, est meo quidem iudicio multo illustrior & præfatio. Insuper Spiritus Sanctus appellatur etiam spiritus principalis, ut psalmo quinqueagesimo. Spiritu principali confirmame. Vbi pro principali in Græca versione *πνευματικῆς*, hoc est regius, principalis, munificus, quod sit liberalis, & munerum largitor. In Hebræo est *רוח רב* Nedhibah, quæ vox præter alias significationes significat voluntarium. Petebat à Deo David, ut sibi spiritum confirmaret, quo sponte & alacriter ei serviret, & libenter cupiditatibus & perturbationibus imperaret. Accipitur enim spiritus pro angelo, ut Psalm. 103. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. Hoc est, quod mentes illas bearas, quas cœlestes spiritus vocamus, facis nuntias, & ministras tuæ voluntatis. Angelus enim idem est quod nuntius. Vnde apostolus Hebræorum primo: Nonne, inquit, omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Hos spiritus vocat psalmographus Angelos & ignem vrentem, ad celeritatem, & vim eorum significandam. Ita locum illum Theodoretus & Euthymius explanant. Accipitur etiam pro demone, ut primi Regum capite sextodecimo: Exagitabat eum spiritus nequam. Et tertii Regum vigesimo secundo appella ut spiritus, & paulo post spiritus mendax. Fortasse de illo intelligitur id, quod dominus Iesus dicebat discipulis suis Matthæi vigesimo sexto: Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Achi diceret: Vigilias agentes attendite, & preces fundite, ne vos tentator expugnet, ille enim demò est, & spiritus promptus ad tentandum, vos autem infirmi: Quare oportet, ut vigiliis & obsecratio-

Theod.

Oleast.
Caieta.

Psal. 50.

Pf. 103.

Hebr. 1.

Theod.

Eudhy.

1. Re. 16

4. Re. 22

Mat. 26.